

LAUDATIO FUNEBRIS

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI D. D.

D. RAPHAELIS S. CAMACHO,

QUERETARENSIS DIOECESEOS

DIGNISSIMI OLIM EPISCOPI,

HABITA

IN CATHEDRALI ECCLESIA,

VESPERASCENTE DIE XXVIII JULII

ANNI MCMVIII,

A PBRO.

PETRO VERA.

Domine dilexi decorem domus tuae, et
locum habitationis gloriae tuae.

Ps. XXV. vers. 8.

Illme. et Rme. Domine:

Venerabile Capitulum:

Auditores Charissimi:

RERUM humanarum naturae optime gnarus, sapiens quidam vir, atque fragilitatis, inconstantiae ac levitatis earum probe conscius, omnes generatim homines admonet, ante mortem laudare neminem. Si ante igitur mortem nemo laudandus, idcirco, morte devicta, par utique erit pro meritis dignum laudibus extollere: negotiorum etenim euripum hujus vitae praetervehexit: fluctuum tumultu est liberatus: ad tranquillum quietumque portum appulit: non futurorum incertitudini subiacet, nec ruinae est obnoxius; sed, tamquam in rupe quapiam sublimique nunc scopulo consistens, fluctus contemnit omnes. Huiusce proinde viri quovis periculo expers est praedicatio, nec improbanda laudatio; iam quippe mutationem aut lapsum non reformidat neu veretur. Merito proinde, ut dixi, Jesus Sirach filius scripsit: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* (1)

Cum modo igitur circa mors peremerit optatissimum Patrem et Pastorem, D. Doctorem D. Raphaellem Sabam Camacho, Queretarensis Ecclesiae dignissimum Praesulem, fidenter laudibus quibus hucusque pepercimus, in posterum prosequemur. Quamplurima sane sunt et praeclara equidem virtutum exempla, in quibus egregium Episcopum amantissimumque Patrem laudare oportet; sed

[1] Eccli. XI. 30.

mihi illud maxime videtur illustre, quod flagrantissimo ardore *dilexerit decorem Domus Dei et locum habitationis gloriae suae*, ut presse vobis notum faciam, dummodo aures intentas mihi eiusdem et facta et labores enarranti cum benevolentia non pigeat praebere, oculosque defigere in eximium ad imitationem divinitus propositum exemplar.

Sentio nullam in me eloquentiam reperiri, quae dignam afferat aut tempori gratiam, aut materiae copiam, aut vestro in Antistitem nostrum studio incrementum; sed eius qui obedientiae victoriam misericorditer promittit, Omnipotenti fretus auxilio, hanc difficilem securus viam ingrediar parentalem intexendo laudationem.

Unde igitur ordiar? Numquidnam ipsius patriae regionis in Ecclesiam et Rempublicam merita in memoriam revocem? Quis enim nesciat, quod, tribus ab hinc retro saeculis, pulchra illo regio tot tamque illustribus viris incunabula praebuerit? An praeclaram generis sui nobilitatem, quam ille non modo nominis successione, sed etiam immortalibus factis testatus est, recensebo? An quemadmodum educatus institutusque sit in paterna illa domo, praedicabo, domesticarum virtutum florentissima sede? Cum omnia equidem haec plane nota atque aperta sint vobis, iccirco iam iamque maiora videamus. Quindenis Raphael Noster in Guacalaxariense mittitur Seminarium, sub praeclarissimi germani fratris Raymundi, ibidem Professoris, itemque sub viri non minus ingenii ac doctrinae, quam egregiae virtutis laude praestantis, patruum nempe sui, D. Doctoris D. Joannis N. Camacho, illius Cathedralis Ecclesiae Canonici, tutela ac magisterio. Quid ergo augurari debuerat et spectari? Homines magni magnorum efformantur consuetudine. Humaniorum itaque litterarum studiis penitus addictam adolescentiam decuxit, morum gravitate, pietatisque ac virtutum omnium scientiarumque progressu commendatam. Exacto igitur philosophiae ac theologiae curriculo, canonico pariter iuri ope-

ram navavit, cuius disciplinae ita peritus evasit ut, unanimi omnium voto, lauream in illo fuerit assecutus. Interim vero de capessendo cogitabat statu, Deum humiliter in oratione, suosque Superiores consulens, dumque divinam, quod postulaverat enixe, novit voluntatem, sacris de more initiatus, sacerdotio demum consecratus est a munifico illo Praesule Didaco Aranda et Carpintero, postridie Idus Martii, anni octingentesimi quinquagesimi primi supra millesimum.

Pontificale siquidem Romanum id conceptis verbis docet praescribitque, nempe: "Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut coelestis sapientia, probi mores, et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendent;" "Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praecicare, et baptizare" [1]. Horum omnium optime gnarus Neosacerdos, propirae sanctificationi se penitus addixit ac, verbi Dei ministerio atque animarum lucro intentus, se suaque omnia in aliorum profectum et utilitatem devovit.

Neque hic tantum insistere, verum ad alia eaque maximi momenti progredi oportet.

Profecto quidem illud in primis occurrit: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. "Nullus enim vir, ait « divus Chrysostomus, qui virtutis viam capessat, expers erit dolore, « aerumnis, moerore, tentationibus. Quomodo namque possit, is qui « per arctam et angustam viam incedit, qui audivit, *in mundo tribulationem habebitis?*..... Nemo itaque certantium quietem quaerat. « Rursus praesentia omnia sunt conflictus, bellum, aerumna, angustia, tentatio, agonum stadium. Alia sunt quietis tempora, hoc sudor « rum tempus est atque laborum" [2]. Quod igitur omnibus contigit, Noster Raphael, in turbulentissimis temporibus est etiam expertus; cum etenim in vitiis extirpandis eloquentia, apostolica firmitate, ac

[1] De Ordinatione Presbyteri.

[2] Homilia VIII. in Epist. II ad Timoth. c. 3.

pietate uberes ederet fructus, eorum qui rem moderabantur publicam odio insectatus, nocte quadam in carcerem, deinde in exilium est relegatus, quod in sui aliorumque profectum Deus providus convertit; Romam etenim ac Jerosolymam peregrinandi ex hoc nactus est occasionem, ut suam fidem et obedientiam erga Patri Cathedram, Ecclesiae Caput et unitatis Centrum testaretur, ac itidem pietatem et devotionem fovendam ante sanctissimum Christi sepulcrum, praesepe, calvarium, aliaque venerabilia loca in quibus *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei*. Illud demum quod in lucem edidit Itinerarium, a plerisque maximo pretio habitum, testatur quantum hac sacra profecerit visitatione.

Sub amplissimo viro nos ergo intenti ac vigiles, et in secundis et in adversis praecipue, lucrum capere numquam omittamus: tribulationes etiam atque labores cunctos prae gaudio in posterum amplecti haud dubitemus: res etenim usque prosperae animum extollunt, mentemque a Deo facile avertunt; aerumnae e contra, in ipsum Dominum, unde omne datum optimum, spem nos edocent collocare. Si quando igitur tribulemur, ne stulte doleamus, gaudeamus potius, quoniam dolor et afflictio erunt nobis in lucrum. *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* [1]

Militi e castris revertenti in summa ducitur laude pro acceptis vulneribus insignia reportare, navisque rectori portum ingredi quiete iam post tempestatem reddita: sic Noster Raphael, ob labores ac persecutiones propter iustitiam firmiter patienterque perpessus, in patriam remigravit Protonotarii Apostolici titulo a Dei Servo, venerandae memoriae, Pio Papa nono decoratus. Iam vero, tentatione probatus, vehementissimo Dei gloriam atque animarum salutem procurandi ardore flagravit: quod probe Guadalaxarae sciens Antistes, exoptans strenuum illum militem Dei praeliare praelia, inter parochos civitatis primo, deinde in Ecclesiae suae Cathedralis servitium inter Canonicos

[1] Epist. ad Rom. VIII. 28.

cooptavit, nec satis haec duxit, quin etiam pretiosas illas tradidit margaritas, quae eximiae sunt Praesulibus in ipsorum corona gemmae, iuvenes dico, quos bonis moribus, pietate pariter ac sapientia in Seminario informandos commendavit. In his vero tam magnis tamque arduis rebus ad exitum perducendis, sic se gessit, ut omnibus bonis fuerit probatus. Usque hodie curam ac sollicitudinem illius luculenter testantia extant monumenta: Congregatio videlicet Beatae Mariae Virginis Immaculatae et Sancti Aloisii, Academia Sancti Leonis Magni, pro humaniorum litterarum cultura, atque cathedrae Britannicae Linguae et Cantus Gregoriani, quae omnia, multis tamen oppugnantibus et contradicentibus, vel ad iuventutis studiosae mores inocuos servandos, vel temporum necessitati consulens, instituenda curavit; in quibus omnibus ejus prudentia cum quam maxime eluxisset, praestantissimus ipsius Pastor D. D. D. Petrus Loza et Pardavé in Episcopalis sollicitudinis partem eum est vocare dignatus, Deo sic disponente ut, qui Episcopali dignitate ac decore tandem aliquando praefergere oportebat, Episcopale meritum et virtutem prius acquireret.

Iam vero ad ulteriora eaque ut patet amplissima progrediamur. Cum eximium illum Mexicanorum Antistitem Consiliarium, Episcopalis dignitatis insigne decus, D. Doctorem D. Raymundum Camacho, hujus Ecclesiae dignissimum Praesulem, mors acerva inopine sustulisset, in mentem omnium venit illi sufficiens Raphael Nostro digniorem neminem, quod plaudentibus cunctis ita feliciter evenit; renuntiatus namque Episcopus Queretarensis a Summo felicitatis recordationis Pontifice Leone XIII, et maxima totius diocesis laetitia ac gratulatione in sua Cathedrali consecratus, nono Kalendas Junii anni millesimi octingentesimi octogesimi quinti, nihil non molitus est, ut Ecclesiae suae utilitati atque bono prospiceret.

Et re quidem vera, per illius tam diuturni Episcopatus cursum, innumera prope quae mala pertulit quaeque bona gessit Noster Illustrissimus Praesul parce ac breviter recensens, ille procul dubio omnium animos perculit, intensus quo zelatus est Dei domum zelus, quo

quidem impulsus, nihil imprimis intentatum reliquit ut sacri Romanae Ecclesiae ritus, praecipue ad pontificales functiones praescripti, quosque Caeremoniale Episcoporum complectitur, plene ac fideliter ab omnibus servarentur. "Hi namque sacri ritus ac caeremoniae, ait Sixtus V, ab apostolica traditione ac avita disciplina institutae magnam christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem continent, fidelium mentes ad rerum altissimarum contemplationem sustollunt, et devotionis etiam igne inflammant;" idcirco, "Ecclesia Catholica de sacri sui cultus maiestate ac splendore summopere sollicita semper fuit, tum ut per sacros ritus ipsamet fides divina ostenderetur, et summae in Deum reverentiae suae sensus panderet, tum ut immensum, quem possidet thesaurum in sacramentis, ac praecipue in sacratissima Eucharistia, ad quam omnia in religione tendunt, quasi cingeret et ornaret" [1].

Pari igitur zelo sacris concentibus praesertim Gregoriani cantus pro ecclesiastico officio instaurandis adlaboravit, quod ut facilius obtineret, ut quo omnes in illius executione et modo abusus et corruptelae iam pridem illapsae penitus eliminarentur, in Conciliari Seminario Cantus Gregoriani cathedram ibidem institutam in melius redegit atque impense fovit; siquidem, "hic cantus, ut docet Benedictus XIV, vere et proprie ecclesiasticus, cultui divino est adaptatus, et ad glorificandum Deum, mentesque sursum elevandas aptissimus, adeo ut illius harmonia, si recta fuerit, castis auribus, cordibus piis maxime conveniat" [2]. Ad sacram quoque polyphoniam et pristinam liturgicae musicae formam restituendam, prope Seminarium Scholae Musicae Sacrae instituit, in qua regulae ac leges Romanae Scholae praesertim observantur, cuius praecipuus magister et quasi ductor saeculo decimo sexto Petrus Aloisius Praenestinus procul dubio existit. "Classica etenim polyphonia, ait Sanctissimus Dominus Noster

[1] Sixtus V. Const. *Immensa aeterni Dei*, 22 Jan. 1582.

[2] Bened. XIV. Encycl. *Annus, qui*.

Pius Papa X., ad Gregorianos concentus, archetypum unicum musicae sacrae omnis, plane accedit, atque inde una cum Gregoriano cantu ad sollemnia Ecclesiae maxima, quae in caeremoniis Pontificiis habentur excipi meruit" [1]. Ad urgendam ergo citius in hac Dioecesi perfectam Ecclesiasticarum legum de Musica Sacra observantiam, duas insuper Rmus. Antistes litteras Pastorales edidit, et chorales libros editionis typicae Ratisbonensis largius donavit. Demum, ut constituta omnia adamussim perficerentur, *Coelum virorum*, juxta Apostolicae Sedis normas, in dioecesi constituit, quibus opera musicalia quae ecclesiastico cantui deserviunt exsequendo, opportuniore modo inquirendi arctiusque ad examen revocandi munus commisit. Quae quidem agendi ratio cum incredibiles ei labores, dispendia, necnon et contradictiones identidem, ut facile praevideri poterat, attulisset, infracta Nostri Praesulis constantia et invictissima animi sui in Deum fiducia vicit, sprevit semper semperque superavit.

¿ Quid vero de ferventissimo amore ac filiali pietate erga praecelsam Patronam et tenerrimam Mexicanorum Matrem? Vix ad Episcopatum evector, quos susceperat filios ad aras Virginis fecit venire et jurejurando se obstringere ut, maiorum vestigiis insistentes, quam indesinenter piissimam Matrem fuerant experti, eamdem uti patronam semper venerarentur atque agnoscerent. Illustrem quoque ac Venerabilem Clericorum Saecularium Congregationem, jam ad paucos redactam, pene ab interitu liberavit et in antiquum honorem restituit, ne tantae Reginae debitas laudes unquam deficerent; sacras eidem Sanctissimae Virgini Mariae de Guadalupe aedes hacce in urbe dactas, magnis etiam sumptibus mirifice decoravit, et ritu solemniper se ipsum dignatus est consecrare. Neque ullum diem praeter sollemnissimum Paschae, ad Benedictionem Apostolicam populo impertientiam, aptiorem illo iudicavit quo Dei Genitrice fortunati Neophyti oculis se videndam praebente, sedentium in regione umbrae mortis

[1] Motu Proprio de Musica Sacra, 22 Nov. 1903.

vera illa lux omnium mentes collustravit, cuius anniversariam diem, ut quotannis recoleretur, rem sacram per seipsum vel per alium in pontificalibus peragendo celebrari curavit. Totis insuper viribus, pecuniis item non parcis adlaboravit, ut novissimum Virginis Deiparae Ecclesiasticum Officium a Sancta Sede Apostolica approbaretur, quod feliciter est assecutus: piarum denique peregrinationum ad Basilicam Tepeyacensem instaurator exstitit. Sic factum est ut, cura et diligentia hujus amplissimi viri, quem nobis implacabilis mors nuper eripuit, Mexicanorum Mater honores, comitatum, domum, regiasque laudes apud nos haberet. Postremum vero, dum coelestis Deiparae Imagini Apostolica delegatione aurea pretiosissima corona imponeretur, quam valide ipsius pietatis ac devotionis sensus enituit, quando Episcopus omnium fere regionum Americae ibidem adstantes gratanter invitavit ut, ante Sacratissimam Effigiem Guadalupensis, eorumdem dignitatis insignia, baculum scilicet ac mitram, in placidae servitutis significationem, omnes eodem temporis momento deponerent!

Amor laesus saepe in iram vertitur, haecce tanto terribilior quanto ille intensior. Nemini igitur mirum videatur quod Noster, ubi quosdam reperit non modo filialis animi sensus exuisse verum etiam illam divinitus pauperi Joannis Didaci pallio jam pridem impressam Imaginem fuisse, scriptis audacter impugnare minime erubescens (*obliti enim erant benefactorum ejus, et mirabilem ejus quae ostendit eis* [1]), zelo consumptus, omni conamini ac nisu in illud incubuit ut perlucide captiosa argumenta, aliis quoque editis libris, refutarentur, et rebelles, acri oppugnatione devicti, contiscecerent: unde non modo Ecclesiae suae, sed etiam ceterarum Reipublicae Ecclesiarum bono maxime prospexit.

Ad alia vero ejus facta breviter expedienda progrediamur. Norunt cuncti quam multa mala inde oriantur quod in rebus sive privatis sive publicis ignorantiam ducem sequamur ac magistram, unde qui

[1] Psalmus 77. v. 11.

scientiam repellunt repellentur ne sacerdotio fungantur Domino: adversus illam igitur dimicandum putavit Reverendissimus Antistes novas in suo Seminario aulas levitis aperiens, hispanicae scilicet linguae, rhetoricae ecclesiasticae, sacrae liturgiae, theologiae pastoralis ac Scripturae Sacrae. Collationes etiam de rebus moralibus et liturgicis ad meliorem formam redegit, jussitque resolutiones in eis latas divulgari.

Ne autem dum aliorum saluti provideret, ipse reprobis efficere-
tur, propriae sanctificationi cunctis erat diebus ac momentis intentus. Splendebat in primis ejus pietas in Deum, perpetuusque tenor vitae orationi mentali, rosarii recitationi et conscientiae discutiendae singulis diebus vacare; divinae Providentiae orationibus jucunde se subiicere; in adversis patienter, in prosperis et secundis humiliter, in laboribus constantissime se gerere. Familiare ei cœmum, in mensa frugalitas, in verbis cum affabilitate parcitas, a rebus saecularibus abstractio ac, uno denique verbo, proficiendi semper in virtutibus nisus impensus.

Sed quid de eius in ceteris boni Pastoris officiis adimplendis fidelitate? Nonne manifestum est omnibus sic eum residentiae legem servasse ut numquam, nisi iusta causa compulsus, ad tempus oves dimiserit? Etiam si senio confectum, plane illum novitis ad Metropolim primo, Urbem ad usque postea, Concilia celebrandi causa libenter accessisse; Parochias item semel visitasse, in quas sacras insuper missiones propriis sumptibus saepenumero promovit. Nec minori ei curae fuit bonos mores in melius promovere tam Clericorum quam fidelium: et revera, quoad illos attinet, optimum fore putavit ipsis iniungere ut in perpetuum singulis bienniis, reficiendi ergo piis exercitationibus animum, ad urbem episcopalem accederent, quibus, ut abundantior fructus obtineretur, sapienter constituebat bis singulis annis per Missionarios dirigi; quoad autem fideles universim, providere dignatus est per crebras Pastorales litteras, sana refertas doctrina, in quibus identidem opportuna continebantur dispositiones,

insimul et per assiduam Verbi Dei praedicationem, quam saepe saepius ipsissimus obibat. Quae quidem omnia dum mecum ipse revolve, contineri me non possum quin ad coelum oculos attollam, ibique, ut fidenter pieque credo, fideles inter servos receptum Eximium Praesulem SALVE ingeminando collaudem. Salve, igitur, Piscator egregie, qui, turgidum huiusce vitae mare percurrens, non distulisti in verbo Domini laxare rete, unde ad portum plenam piscibus scaphulam feliciter perveheres! Salve denuo, praeclare Pontifex, qui virtutum tuarum splendore cathedram episcopalem illustrasti! Euge et vive in Christo, quem dilexisti, pro cuius honore et gloria indefesso semper animo certasti!

Ego equidem, venerabiles fratres, maxime demiror in memoriam revocans quod tantus Pastor, humilitate abreptus, vel in ipso Episcopatus initio gravi correptus morbo, tanto oneri sustinendo putans se imparem fore, immemor sui, animarum vero de salute sollicitus, sua sponte dignitate spoliari poposcit. Quod tamen non opportunum iudicans, beatae memoriae Leo XIII, ei potius ut meliori quo posset modo crucem baiulans, per viam Calvariae usque in finem constanter incederet, iniunxit: Noster quidem, eximia praeditus patientia, immo vero Dei sese de more ordinationi submittens, exequi minime intermisit. Porro autem, ad infirmam valetudinem senectutis miseriis accedentibus, octogesimum siquidem pertingebat annum, sensiens viribus se penitus destitui, ad Apostolicam Sedem iterum recursum habuit, non sicut prius, ut sibi liceret dignitatem dimittere expostulans, sed sibi demum constitui Coadiutorem implorans: neque enim sustinere poterat Ecclesiam, quamvis invito, detrimenti aliquid capere. Eiusmodi vero vota benigne excipiens Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, Illmum. ac Rmum. in Christo D. Doctorem D. Emanuele Rivera, tunc temporis Vicarium Generalem et Dioecesis Provisorem, in Coadiutorem Episcopum cum successionis iure renuntiavit. In cuius quidem consecratione singularia omnium ordinum laetitiae signa libuit conspiceri, Nostri potissimum Pastoris, cui ex

illa die melius quam Jacob dicere licuit: *Iam laetus moriar, quia vidi faciem tuam et superstitem te relinquo*[1].

In communi tamen laetitia singulorum id unum universos angebat: chari Patris vitam celeri laethalique ictu finire; quisnam autem voluntati Supremi necis et vitae Domini resistere poterit? Quod ergo itaque ab omnibus timebatur, ingementibus omnibus contigit.

Vividiores luminis radios circum quaque sol emittit, quo velocius progreditur ad occasum: vividiora, quem hodie lugemus extinctum Antistes, christianarum dedit virtutum specimina, vestigiaque secunda in extremis reliquit. Per quinque circiter et viginti dies, quibus molestissimae aegritudinis dolores et aerumnas toleravit, quotquot eum aspiciabant, veluti stupefacti, singularem eius patientiam, affabilitatem, divinae Voluntati resignationem, animi quietem pluraque alia, idipsum testantibus singulis momentis, demirari licuit. Suprema demum hora instante, Angelorum pane in salutis viam recepto atque sacra roboratus unctione, dum fortissimus ille athleta auram postremam hauriret atque in coelum conscenderet, quot charorum questus! quot adstantium omnium gemitus ac lachrymae! quot cunctorum ad coelum ferventissimae preces! Vae igitur nobis cruento vulnerere sauciis!....

Saeva atque atra mors! procul recede, ne animum angore, ne lachrymis opprimas oculos, ne chari Patris laudum abruptas filum, ne ora laudantia conticescere cogas. Sed, proh dolor! eheu moeror! illud unum superest: tantum Virum desiderare; et tum Ecclesiae publicam, quam privatam nostram calamitatem ingemiscere.

Quid vero dico? Date veniam, Auditores charissimi, et iustas potius debitasque gratias mecum Benignissimo Deo referte, qui Ecclesiam istam nec ullo temporis momento viduitatem plangere non est passus, quique pretiosam in conspectu suo mortem Charissimo Raphaeli concessit. Pastorum item Principi Christo Jesu assiduis preci-

[1] Gen. XLVI. 30.